

DISPUTATIO MEDICA

De
DOLORIBVS AR-
THRITICIS: EORVM-
QVE CVRATIONE.

Quam

PRAESIDE

IOANNE SIGFRIDO,

Philos. & Med. Doct. ac Academ. Iuliae Pro-
fessore, pro tempore facultatis Medicae
Decano & Promotore.

*Pro consequendo summo in arte
Medica gradu,*

Publicè examinandum proponit

CHRISTOPHORVS MYLIVS

ILFELDENSIS.

Die 9. Septemb. hora & loco consuetis.



HELMAESTADI,

Ex Typographico IACOBI LVCI,

ANNO MDCCXII.



GENEROSO ET MAGNIFICO
DOMINO,
DN. BORCHARDO A Belthelm/
hæreditario in Harpfe/ Ostraw
& Decrenburg.

MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO
& Consultissimo viro,
D. D.

CHILIANO STISSERO,
Reuerdis.^{mi} & Ill.^{mi} Archiepiscopi Magde-
burgens. Cancellario:

*Dominis & patronis suis singu-
lariter colendis.*

Dedicat & consecrat

CHRISTOPHORVS MYLIVS
Hfeldensis.





THESIS I.

Nter affectus, qui corpus humanum sæpè varijs affligunt cruciatibus, præcipuum locum sibi vindicare videtur Arthritis, seu dolor articularum: qui uti est sæuissimus, ita memoria proditum est multos fuisse, qui propterea sibi intulerint violentas manus: cuiusmodi exemplum legitur de Polemone Sophista.

2. Cum igitur tanta sit doloris articularum immanitas, causas reddit Hipp. lib. de affect. tum quia huiusmodi dolores sunt in locis angustissimis: tum quia fiunt in partibus sensilibus: tum etiam quia plures partes torquentur simul. Itaq; ut tam sæuo & tam immani articularum morbo conueniens inueniatur remedium, operæ præcium erit de eo instituere disquisitionem.

3. Et quoniam constat, hunc morbum tantum euenire in articulis, vnde & nomen inuenit: prius eorum natura medico erit consideranda. Ante omnia autem hoc statuendum, articulum seu ossium connexionem tribus fieri modis: Aut enim per Symphysin, id est, per simplicem adnascentiam, idq; sine alicuius materiæ interuentu, ut in mollioribus & fungolis: vel materia aliqua media, ut in duris & siccis. Aut per synarthrosin, quæ obscurum quendam & difficilem motum admittit. Aut deniq; per Diarthrosin, id est, per coniunctionem duorum ossium, vno cavitatem habente, altero caput in cavitatem recipiente, mediantibus tamen partibus nerveis, utpote membranis, ligamentis & tendonibus. Quæ species euidentem & manifestum motum ostendit. Et hic modus connexionis vltimus, maximè omnium est proprius: hacq; significatione plærung; apud Medicos accipitur articulus.

4. Ex quo non obscure cognoscitur, primam ossium connexionem tam arctam esse, ut nihil possit interciderere quod pareret dolores: aut licet aliquid intercideret, quia ligamentis non stringitur, ob id dolores non infert. In altera, quia motus est leuis aut obscurus, leues etiam oriuntur dolores, ut in capitis suturis, & metacarpij articulationibus. In tertia, ubi est dicta inter duo ossa cavitatis & amplitudo vna cum partibus nerueis, omnes articulares morbi primo sedem habent. Nam dum spatia sunt ampla & partes sensibiles, contingit saepe eò prolabi humorem, qui facta extensione vehementi, varios quoque generat articulorum dolores.

5. Cum igitur hæc sit integra articulorum natura, videmus quod Arthritis in ipsis ossibus non fit, siquidem carent sensu. Nec fit in humore viscido, cum & is insensibilis sit. Multo minus in carne, quia caro circa articulos pauca est, & potius extima quam intima: doloresque potius fiunt in partibus profundis quam in superficie. Quare relinquuntur dolores huiusmodi fieri duntaxat in partibus nerueis connectentibus articulum.

6. Tantus verò & tam vehemens dolor, non aliunde excitatur, quam ex affluxu materiae: siue ea excedat acrimonia ut bilis: siue frigiditate ut pituita: siue asperitate ut gypsea: siue distensione membranarum & ligamentorum: siue inflammatione: qui tamen affluxus, tam pro qualitate materiae fluentis, quam pro imbecillitate partis recipientis per interualla ferè affligit.

7. Humorem igitur intra ipsum articulum & partes circumstantes contineri necesse est, antequam verè dicatur Arthritis. Si enim vel sola se exerat intemperies, vel humor sit diffusus in habitum corporis, diuersa est affectio. Nam quod Hipp. lib. 9. aph. 16. testatum reliquit, articulorum dolores fieri in siccitatibus, id non accipi volumus de Arthritide proprie

prie dicta, sed de dolore & difficultate motus, quæ fit ab exhausta articulorum humiditate: nisi quis euidenter exorbitare velit, & omnibus articulorum doloribus hocce imponere nomen.

8. Et quanquam etiam Galenus lib. 6. aph. 49. Podagræ causam materiale tantum velit contineri in articulis & ligamentis quæ tenduntur: non neruis & tendonibus, quæ solummodò ad aliorum tensionem contrahuntur: argumento quod inde non fuit visa ex fluxione conuulsio. Non tamen veritati est consonum, materiam confluentem ad articulum imbibere ligamentis durissimis: minus verò à tendonibus & partibus nerueis.

9. Hæc materia in articulis colligitur duobus modis: Per affluxionem à partibus altis: Et per congestionem, malè consequente parte. Hæc magis fit in morbo Gallico, sine tumore, cum dolore periostij. Illa mixta est ex humoribus peccantibus varijs, quæ concepta distensione, tumore & calore potius facit dolorem. Vnde dixit Rondelet: Dolores articulorum fieri à recrementis partium sensim defluxis. Ex quo intelligitur hanc collectionis speciem Arthritidi esse maximè propriam.

10. Quibus ita positis, licet communiter Arthritis vocetur à parte affecta dolor articularis, dolor iuncturarum, barbaris gutta, quòd existiment esse defluxionem guttatim factam: Proprie tamen Arthritis definietur: Dolor articulorum omnium vel plurium: ex interuallis ferè affligens: ortus ex affluxu humoris: qui ob imbecillitatem laxa vacuaq; articulorum spacia implet, partes neruosas distendit, comprimit & alterat.

11. Dixi Arthritidem esse dolorem: quoniam etsi pariter concurrat imbecillitas, nisi tamen præter imbecillitatem adsit quaq; dolor, nunquam appellabitur Arthritis. Dixi articulorum

culorum plurium aut omnium. Nam si dolor partes inuaserit
peculiares, peculiaria sortitur nomina. Dico affligens ex in-
teruallis: pro copia nimirum & qualitate humoris fluentis,
viarum laxitate, & imbecillitate partis recipientis.

12. Dico quoque ex affluxu humorum ad articulos & par-
tes nerueas ad differentiam Luis Gallicæ: Nam tametsi in ea
solum doleant periostia seu membranæ nerueæ, quæ ipsa ossa
vestiunt. In Arthritide tamen dolent illæ partes nerueæ quæ
iplos constituunt articulos: idque in hac ut dictum est, ob ma-
teriæ affluxionem: in illa ob materiæ congestionem.

13. Propterea pars illa affecta proprie non est totus arti-
culus: sed tantum partes eius neruosæ sensiles, ut vincula, ten-
dines musculorum, nerui & ipsa cutis.

*Differen-
tia.*

14. Morbi articularis species sunt variæ, quemadmodum
authores eos statuerunt ex numero infectorum articularum,
vltus tamen teste Fernel. tribus duntaxat indidit nomina.
Nam vbi dolor malleolos vel pedium, maximè verò pollicis
articulum adoritur, fit illa species quæ Podagra dicitur: vbi
manum infestat, eius vel carpum vel externam partem, vel di-
gitorum articulos & vincula, Chiragra: vbi coxas seu ^{igruo}
Ischias, Sciatica barbarè, latinè coxendica passio: quam so-
lam aliàs Gal. 4. Epid. tex. 3. scribit apud veteres medicos ap-
pellatam esse Arthritiden.

15. Hi affectus omnes non toto genere, sed affectis dun-
taxat locis differunt: nam tametsi alijs indigentur nomini-
bus, nulli tamen horum non adest diuturna articularum im-
becillitas cum fluxione, ut placuit Aëtio cap. 6. lib. 12. eun-
demque requirunt Curationis modum.

16. Vnde si eos considerauerimus ut dolores, vocabimus
symptoma in genere actionis tactoriæ læsæ deprauatæ.

17. Si suspexerimus fluxionem, ob quam articulationes
implentur, & circumiacentes partes extenduntur, non dif-
conue-

conueniet hos affectus appellare morbos, siue in mala conformatione: siue in solutione continui. Licet eos Hipp. lib. 6. aph. 49. vocet inflammationes: & alibi lib. de affect. intemperies siccas, sed impropiè.

18. **Causa Arthritidis triplex est: Primitiua, Antecedens** *Causa.* & **Coniuncta.** Primitiua seu externa remotior est: Morbi istius propagatio hæreditaria, à parentibus, qui tempore conceptus eo malo actu fuerunt detenti, in prolem translata: quia semen vndiq; est deciduum: & plarumq; sequitur temperiem & complexionem generantis: quanquam non æquè omnibus hæc causa ineuitabilem importet Arthritidis necessitatem.

19. Altera proximior, est Aëris constitutio calida & humida, crassa, nebulosa: eiusq; mutationes circa vtraq; æquinoctia. Studium item crapulæ, cruditas, obstructio, vini generosioris liberalior vsus, præsertim verò ventriculo ieiuno. Potus niue vel glacie refrigeratus. Libido Venerea præsertim à repletionem: vnde Podagra meritò Poëtis credita est filia Veneris & Bacchi. Quibus æquè annumerantur: somnus mox à cibo, otium, consuetarum exercitationum intermissio, solennium euacuationum suppressio, vlceris humidi & chronici consolidatio. Dolorifica item omnia, vt luxatio, ictus, casus, crepidæ, calceamenta, ocreæ strictiores. Balnea frequentia ex aqua dulci. Affectus.

20. Antecedens causa est, crudorum humorum abundantia, quæ per vasorum aut meatuum amplitudinem, ope viscerum mandantium fluit aut fluxura est in articulos imbecilles, siue ij sint infirmi natura, siue ex euentu.

21. Coniuncta interna proximaq; Arthritidis causa rectè statuitur, non vlla simplex intemperies vel flatus: sed humor ipse crudus, qui articulorum imbecillium cavitatibus iam impactus & conclusus est: quiq; ab excretrici facultatis robore eò semel propulsus, ob partis frigiditatem digeri & resolui

solui nequit : Vnde facta distensione & continui solutione partium neruofarum , tam copia, quam qualitate tantos ciet in parte affecta cruciatus.

22. Cumq; in omni fluxione 4. considerentur. 1. humor influens. 2. pars mandans. 3. pars recipiens. 4. spacium seu via per quam: Humor qui influit aut influxit non est solummodo, vti vult Fernel. , pituitosus, & serofus : sed aliquando sanguineus, vt plurimum pituitosus, sæpè biliosus aut mixtus : raro humor crassus vel Melancholicus solus : siquidem indiget tenuiorum vehiculo. Valefc. de Tharant. lib.6.c.24.

23. Nec pars mandans semper est pericranium, cum ea sæpè totum sit caput, interdum iecur, lien, venter, vterus, renes, totum corpus : Nec spacium per quod fluit humor ad extimas sedes, est tantum via sub cute, sed præter eam adhuc spinæ medulla, caro, continuitas membranarum, musculorum, neruorum aut vasorum maiorum.

24. Verum ad transmissos humores promptè admittendos partium suscipientium requiritur imbecillitas, quæ Galeno consideratur in articularum raritate, laxitate & humiditate.

25. Harum omnium causarum ea est potestas & ratio, vt simul iunctæ necessariò Podagræ generationem afferant, separata non item. Iam ad signa.

Signa.

26. Innotescet autem pars affecta ex propria patientis relatione, qui vel de incipiente tensiuo dolore, vel de perfecto cum difficili motu & distorsione articularum conqueretur.

27. Incipientem affectionem indicabunt, grauitas capitis & cervicis cum leui horrore: torpor quidam articularum molestus, obscurus sensus pruritus dum tanguntur partes, difficultas inter flectendum & distendendum, patientium atq; senarum partium color similis, nullo emergente tumore.

28. Tandem ingrauescente passione, inflatio fit cum dolore ma-

te manifesto, qui nunc alterum pedem, nunc vtrumq; pun-
ctiōibus inuadit. Is igitur sæpe à maiore digito, nonnun-
quam à plantæ cavitāte, interdum ab ipso calcanei extremo,
seu etiam malleolis sumit incrementum.

29. Vbi verò malum hoc consummatum fuerit, calor &
dolor articulos teste Hipp. de affect. actu detinet cum impo-
tentia deambulandi, tumores fiunt in ipsis duri, distorquen-
tur articuli, tophi apparent, & membra cæteris comparata
fiunt graciliora & magis attenuata.

30. Reliqua Arthritidis signa præcipua sumuntur à natu-
ra humoris peccantis. Nam multus humor distendit, aeris
erodit, calidus calefacit, frigidus torporem aut stuporem
infert.

31. Sanguineam podagram aut arthritiden arguunt Ple-
thora, tumor elatus, color rubens, ætas florida, anni tempus
vernum, dolor pulsatilis continenter affligens, sanguinis con-
suetæ euacuatio suppressa, iuuamentum à frigidis, molestia
à calidis.

32. Biliosam ostendent calor multò maior, dolorq; acer-
bior cum vlceris sensu: tumor flauus aut pallidus: sæpè cum
rigore accessiōnis initio, & calore febrili in statu eiusdem, sitis
immensa, antegressa victus ratio calfaciens & desiccans, ætas
virilis, tempus anni æstiuum, exacerbatio, periodus tertia-
na, iuuantur frigidis, læduntur calidis.

33. Pituitosam declarant dolor minor, tumor frigidus &
œdematosus, color cutis parum mutatus à naturali: periodus
quotidiana, victus ratio humidior, temperamentum, ætas,
sexus, tempus anni humidum, vitæ ratio otiosa, vrina tenuis
& aquosa: iuuantia calida, lædentia frigida. Quod si pitui-
ta sit salsa, aderit pruritus, qui partes affectas acriter affligit.

34. Ab atro humore podagra rarissima est. Eam tamen
notabunt tumor nigricans, dolor grauis & profundus, tu-
mor

mor exiguus cum duritie, corpus frigidum & siccum, autumnus, victus atrabiliarius, affectus tristes, quartanæ exacerbationes.

35. Sed si humores mixti huiusmodi malum induxerint, cognoscentur ex permistione signorum, prout nimirum hic vel ille, plus minusve intulerit molestiarum.

Prognostica.

36. Verum igitur est illud Hipp. 3. aph. 20. & 6. aph. 55. Vere & autumnus magna ex parte moueri articularum dolores.

37. Et quia eiusmodi dolor Alexandro Trall. l. 9. c. 1. & Aretæo per se putetur curatu difficilis, accedit ad hoc, quod infestet illum magis, & in eo adhuc magis sit incurabilis, cuius auus vel pater tali morbo fuerit obnoxius.

38. Quin & Arthritis aut podagra difficulter curatur, vbi à diuersis composita est humoribus: quæ si fuerit ab humore bilioso in homine multum voraci & gulæ dedito, subitæ mortis periculum accersit.

39. Nec tamen omnis Arthritis aut Podagra credenda est incurabilis: quippe in iuniore ætate multum sperare licet, si bona vtatur victus ratione, aluumq; solutam habeat, corpusq; haud segniter exerceat. Contra si incidat in ætatem adultam aut grandiolem, nunquam perfecte curatur.

40. Qui tophi seu calli vocantur, postquam in dolore articularum fuerint producti, Gal. 10. de comp. med. 2dum. loc. ne speraueris ad pristinam constitutionem exactè articulum redire posse. Vnde cecinit Poëta: Soluere nodosam nescit medicina podagram.

41. Eunuchi podagra non laborant, nisi in victu & delicijs deliquerint: nec pueri ante Veneris vsum: nec mulieres nisi menstrua defecerint, teste Hipp. 6. aph. 28. 29. 30. Verum delicatior hominum ætas, & lasciuia mulierum Romanarum

narum luxuria, hæcenus in eo Hippocratem reddidè mendacem.

42. Arthritide & podagra laboranti vrinæ spissæ & veluti iumentorum turbidæ, aut varices superuenientes, morbi solutionem promittunt.

43. Quin & inter articulorum dolores omnes eorum species pertinaces admodum sunt: & quando inuadunt, diu perseverant, facileq; recidiuam faciunt. Nam quia horum causæ sunt communiore, plures quoq; inuadunt, & vbi semel inceperint, nunc per menses, nunc per annos redeunt: Vbi deniq; semel fixerunt pedem, ægrè amplius eradicari possunt, per se alioquin minimè exitiales.

44. Hinc ea se offert Medendi methodus, vt qui ad hosce dolores sunt dispositi, eos præseruemus: quos verò iam eo vitio videamus correptos, eos habita causæ ratione, conuenienti Curatione subleuemus. *Curatio.*

45. Præcauebimus, vt vel ægrè dolores illi redeant, vel mitiùs patientem tractent, si prohibuerimus causæ seu materiæ generationem, quod fit dum excrementitiorum humorum collectionem & prouentum in capite & toto corpore impediuerimus bona viuendi ratione, euacuantibus varijs, corrigentibus intemperiem & imbecillitatem partium. Item dum defluxiones & influxus in articulos, aliasq; sedes aliò deduxerimus, auerterimus, & partes recipientes firmauerimus & immutauerimus.

46. Curabimus, si prius considerauerimus in parte afflicta magnitudinem doloris, & morbum ipsum, à quo tam sæuum symptoma dependet.

47. Quia verò morbus non tollitur, nisi sublatis morbi causis: causæ eius, quæ sunt materia humorum redundans, & membri recipientis aptitudo remouendæ erunt. Exurgentq; hi duo scopi generales Curationis: Euacuandi nimirum *Indicationes.*

mirum humorem redundantem : Et corroborandi partes recipientes.

48. Materia autem quia duplex est: Vna quæ influit: altera quæ influxit, indicat influentem intercipiendi & influxam euacuandi: quæ si dura, emollienda est & dissipanda: si mollis, per dissipationem vel per aliam euacuationem est extrahenda.

49. Ad hos scopos consequendos tria se offerunt Remediorum genera: quorum primum est Diæta: alterum Chirurgia: tertium Pharmacia.

Diæta.

50. Ad diætam pertinet aër temperatus & siccus, & qui non excedat in qualitatibus actiuis. Vitandus est contra aër humidus, crassus, frigidus. Immoderata vigilia & somnus nocent. Conferunt exercitia mediocria vbi malum quieuerit: tempore fluxionis æger vitabit.

51. Cibos paucos & qui modicè nutriunt adhibere oportet. Nam satiari cibus admodum noxium est: imò potius confert interdum aliquantulum perferre famem. Potus sit aqua mulsæ, aut aqua in qua decocta sint sem: Coriandri cum modico Cinamom. & anisi. Vinum vitetur, cum primis verò generosum: aut si patiens omninò vinum affectet, dandum quod sit *ὀλιγόφορον*.

52. Alui beneficium si non obtemperet natura, prouocetur arte. Venus, & potissimum immodica exulet. Vitentur animi perturbationes.

Chirurgia.

53. Porrò quoniam morbus hic, de quo sermo est, consistit vel in Plethora vel in Cacochymia: Plethora, quæ est ex æquo humorum in corpore redundantia, cum primis requirit præsidium Chirurgicum. Lenita igitur prius aluo, sanguis minuendus est pro reuulsione ex partis agræ opposito: Vt si pedes affligantur, ex brachio: si brachia, ex poplite: idq; nõ semel, nec bis, sed aliquando ter, quaterue vicibus dispartis;

et; pro viribus tamen ægri, ætate, tempore, & magnitudine morbi.

54. Vicissim ubi Cacochymia, seu vitiosorum humorum *Pharmacio* redundantia viget, locum habet Pharmacia. Et quidem humoribus preparatis, purgatio obeunda est medicamento conuenienti, quod sit humori ducendo determinatum, & quod non multum exagitet humores: cuiusmodi inter simplicia reperiuntur Rhabar. Mirobalan. Pil. de Agar. Terebinthin. Aloe. Quibus accedat pharmacorum repellentium, discutientium, & Anodynorum si opus sit, vsus conueniens & oportunus.

55. Cæterum in Arthritide pituitosa euacuatur humor partim per vomitum, partim infernè per ventrem. Euacuatio per vomitum (si ad eum æger sit facilis, aut assueuerit) alteri præfertur meritò: quippe quæ repellat repentem humorem deorsum. Mouendus igitur est in principio ab accepto cibo: postea etiam per vomitoria, initio à mediocribus factò. At verò ea per ventrem, competit illi, qui ad vomitum est minus habilior.

56. Ideò præmissis attenuantibus & incidentibus, vt melle rosato Syr. de stachad. Oxymel. simp. vel scillino, cum aqua betonica, absinth. vacuatio suscipiatur pilulis de agar. de Terebinth. de Sagapen. Sarcocoll. pil. foetidis. pil. de hermodact. quæ cum oxymelite redigantur in formam Cataportiorum.

57. Biliosa Arthritidis præparatur Capillis Ven. Acetos. Endiua. sem. 4. frig. syr. violat. acetos. Endiu. Cichor. Purgatur infusione Rhabar. Pil. de tribus cum Rhab. El. ros. Mes. El. de succo ros. Triphera Persica.

58. Melancholica, quæ rarissima est omnium, præparatur fumar. borrag. buglos. Cuscut. Cetrach. Syr. de pomis. de succo borrag. buglos. Purgatur, Confectione Hamech. Pil.

Coch. Elect. Ind. mai. Pil. de lap. Lazul. Quæ quidam omnia æquè facienda sunt pro Medici iudicio in omni humorum miscella: idq; non confertim, sed sensim per interualla.

59. His peractis, non inconueniens est euacuare quoq; per Expectorantia, Diuretica & sudorifica, vbi humor est serosus aut pituitosus.

Anodyna. 60. Porrò si fortè articuloꝝ dolores nondum remittant, & commotis humoribus vltèrius afficiant ægrum, dandum aliquid est eorum paroxysmo, & studendum omninò vt dolor sedetur. Etenim is vbi vrget aliquam partem, plures ad partem dolentem allicit fluxiones, vires ægri prostermit, partiumq; impedit actiones. Vnde dolor, teste Gal. 12. meth. c. 1. dicitur partem curationis ad se trahere, non vt symptoma, sed tanquam vrgentius, quod subeat rationem causæ.

61. Propterea huic operæ dicata sunt Anodyna remedia, quæ variare debent pro ratione temporis morbi, materia, & magnitudine doloris.

62. Nam pro temporis ratione in principio doloris conueniunt medicamenta refrigerantia & repercutientia, qualia sunt. Oxyrrhodinum, Aqua spermatis ranar. succus hiosciam. Lutea ouor. Muccag. Pfill. Ol. rosar. ranar. lumbric. Posca. Medulla panis madefacta lacte bubulo, addito modico Croci. Cataplasma ex medull. Cas. fistul. cum ol. viol. & mica panis.

63. In augmento refrigerantibus miscentur discutientia: Vt. Ol. Chamomæl. lil. Crocus. sem. fanugr. lini. Confert etiam vesica bubula ol. chamomel. referta & loco dolenti superdata. Licet, nisi magna sit relaxandi necessitas, satius hic videatur, ab oleis & vnctuosis abstinere: Et maximè quidem calore vehementer vrgente.

64. Verum in statu solummodo moderatè discutientibus est vtendum, qualia præter illa prædicta sunt: Ol. vitell. ouor.

Ol. Ce-

Ol. Cerae, adeps gallin. tauri, cerui. Ol. laur. sesam. farin. hordeac. fabac. Item Erinaceus viuus discerptus & parti calidè impositus.

65. In declinatione quia est discutiendum maximè, conferunt Aloe, Myrrha, decoct. surfur. baccar. laur. gentian. Cochleæ contusæ. Stercus ouillum, bubulum, pauonum. Ol. antiquum. Ol. Philos. Petrol. Nitrum. Ex quibus variæ medicamentorum formæ concinnentur pro libitu.

66. Materiae quoq; habenda erit ratio. Si enim fuerit calida licebit vti refrigerantibus: vt papauere, nymphaea, plantag. semperviuo eorumque aquis. Si frigida, tepefacientibus.

67. At doloris magnitudini sic succurretur. Nam vbi dolor non admodum est magnus, suffecerint remissiora: si tanta eius est vehementia, vt sustineri dolor minimè possit, est confugiendum ad Narcotica & Opiata: sed citra temeritatem.

68. Et quia hic metus est, ne, dum remedijs vtimur Narcoticis, frigefaciendo partibus neruosis magis officiamus, & materiam in parte congelatam potius figamus, opus erit omninò admiscere tepefacientia. Galenus hoc in loco ma- uult vsurpari pastillos suos Arthriticos, lib. 10. comp. sec. loc. c. 3. quos vsu expetente lacte dissolutos cum penna iubet illiniri, & supra illinitionem linteolum passo imbutum imponi.

69. Quin etiam euacuatis humoribus, & sedatis quodammodò doloribus, reliquum causæ morbi aggrediemur & tentabimus præsidijs medicis vltioribus.

70. Reuellent igitur frictiones, ligaturæ, sectiones, scarificationes, cucurbitulæ. Repellent decoct. gallar. sumach. bolus Armen. Oxycratum, Acatia. Ol. Myrrhin. Mastichin. Aloë. Acetum. Sola sciatica & Arthritis Critica repellentia respuit, quia humorem intrò regerendo auferent: Conferent igitur magis digerentia & discutientia. Quod si tamen
in hac

in hac maxima partium mittentium intemperie nihil proficiatur, deueniendum est ad perforationes & vstiones.

71. Et in capitis quidem imbecillitate cuti perforatæ Cervicis impactus seto (sic enim hoc Cauterium vocant ex funiculo per vulnus ducto versatili) fluxum ad inferiora intercipient.

72. Quemadmodum quoq; eiusdem gratia non inutiliter exuscitatur Fonticulus vulgò Fontanella, in parte opposita eius, vbi alias depræhenditur perennis humorum decursus.

73. Sæpè à fluxu in recipiente membro pars materiæ relinquitur, quæ adhuc discutientibus est exorbenda. Ad quam rem conferunt imposita Ol. Lil. Aneth. Camomil. Lumbric. Vulpin. Oesypus. Item vng. de cato cocto in anseris pingui. vng. de ranis & sanguine testudinis Guidon. vng. Hollerij ex Erinaceo, vulpe, lutra, cap. 3. de mat. chirurg. adornatum. vng. anseris pinguis farti lumbricis, fœnugræco, croco, terebinth. consuti & tosti. Quibus addi possunt valentiora Ol. Irin. de Castor. de Costo. de Piper. de Euphor. Horum vsus neq; in principio conuenit, neq; postmodum, nisi calor ipsorum strenuè deficcans, aliorum pinguium admistione atemperetur.

74. Parem vim præstant fomenta ex Centaur. Chamæpyt. Origan. Maioran. beton. Rad. Althææ, bryon. Lapath. Ircos flor. decocta cum vino, & spongia vel lana partibus affectis applicata. Sacculi ex furfur. pulu. Iuæ, maioran. sem. Rutæ, fœnugr. pip. pyreth. confecti. Cataplasmata item vnguenta & emplastra discutientia varia.

Taphos dis- 75. At verò vbi ex indurescente, quæ articulos obsidebat
attenti. materia, nodi ac tophi concreuerint, tametsi exigua sanitatis recuperandæ spes sit, tamen si partibus affectis adhuc sensus obscurus supersit, curationem subeundam & tentandam suadent

deht Medici: Contrà gypseam soliditatem nacti, cum sensu tactus abolito; sunt in desparato.

76. Tophis ex autoritate Galeni 2. ad Glauc. 4. exemplo Curationis in tumore Scyrrhoso, conferunt emollientia & validè resiccantia: in quem modum fiunt malagmata ex Bdellio, opopan. ammoniaco, galban. terebinth. résina, oleo, & cera, addito exiccante, vt sulphure, quæ tumoribus imponuntur: postmodum aliquandiu detenta remouentur, & pars aceto acerrimo, in quo pyrites vel silex sit extinctus, per vices vaporatur. Denuò pars oleo tepido fouetur, malagmate discutitur, & post aliquot dies aceti vsus per vices reuocatur.

77. Laudatur à Galen. vetustissimus acerrimusq; caseus cum suillæ carnis veteris & præpinguis decocto tophis super, impositus: quemadmodum etiam ab alijs peculiariter decantatur Emplastrum, quod recipit: spumæ nitri, resin. terebinth. Lixiuij quod calcem adiectam habeat ana ʒj. Cerae ʒij. Colophon. ʒiij. Ol. vet. ʒiij. Malagma item Diodori. Diacinnabareos. Malagma ex lap. Asio.

78. Cæterùm adhibitis his, tandem mandanti membro post debitas euacuationes studiosè prouidendum. Si fuerit caput, alterabitur eius intemperies lotionibus, stillicidijs, decoctis, confectionibus conuenientibus: Cuiusmodi sunt Theriaca, Mithridat. Diacorallium Pauli. Antidoti podagricæ variæ. Si ventriculus; humida eius & frigida intemperies corrigetur intus decocto ligni Guaiaci, sassafras, falsæ parill. Confectionibus Aromaticis: foris inunctionibus, Ceratis. Idem quoq; fiet, si membrum mandans sit vel Epar, lien, vel vterus &c.

79. Robur addimus partibus, dolore iam profus consopito ac tumore discusso. Partes igitur debilitatæ indies manè & vesperi ex Oxyrrhodino, aut oleo salito fricandæ erunt de consilio Aëtij & Gal. aut lauandi pedes ac manus vrina aut

C

lixiuio,

lixiuio, in quo sal, nitrum, sulphur, alumen aut vinacea bullierint, imposito insuper affectis articulis Cerato Diachalcyteos, seu Diapalma. Firmabuntur enim partes, & quicquid excrementitiæ humiditatis ibi collectum fuerit, sensim absumetur.

80. Postremò vias, per quas humores soliti sunt ruere ad pedes, condensamus adstringentibus, vt Oleo Myrthin. Lentisc. superducto super partem corio canino: Emplastris item ex bolo Armen. sanguine Dracon. Empl. contra rupturam.

81. Aetius tentauit vias constringere varicum extractione, earumq; incisione: A quo nonnulli ex recentioribus non dissentiunt ducti exemplo Galeni, qui varicū præmentium parte obsignata & excisa, fluxionem docuit auertere ad oculos. 13. Therapeu. c. 22.

82. Verum quia harum incisione nutrimentum pedibus subtrahitur, meritò hoc remedij genus ab Auicenna reformatur; Satius enim est ab eo abstinere hoc præsertim delicatissimo seculo: & vel Emplastris, scarificationibus, vel fonticulis aut Cauterijs hanc humorum interceptionem sufficienter moliri.

83. Hoc in calce duxit addendum, quia inter recentiores noua Arthritidis aut Podagræ Curatio reperta est, quæ fit per torturam: quam Hildanus obser. chirurg. 79. vidit comprobata experimento. Eam tamen potius assignabimus ijs, qui sua facinorum excellentia ferrum promeruerunt & ignem.

F I N I S.



IOAN.



IOAN. CASELIVS. S. D.
CHRISTOPHORO MYLIO
MEDICO CL.

Non est nulla amœnitas decliuitatis Ifeldianæ ad
fluuiolum Beram: quem locum & ipse olim vidi prate-
riens, vt veterem ingenij mei informatorem, Michael-
lem Neandrum salutarem, illius cœnobij legitimum
herum, & rectorem, non minus beneficum, quàm felicem: genium
tamen loci cognoueram ex illo ipso Neandro, & Neandri alumnis
præstantibus: ille quasi ex asperis montibus Atticis profectus, & col-
les & valles consueerat Græcis literis, vt sexaginta annis in his re-
gionibus vberius prouenerint, quàm ferè vsquam: quod alibi etiam
ad vos copiosius celebrari: denuo idem ad te, CHRISTOPHORE
MYLI, Ifeldianus cum sis, mihiq; gratissimus, malui attingere,
hoc magis, quòd ambo fratres ibidem nati, eadem disciplina pari-
terq; Græcis literis eruditi, diuerso, sed vterq; bono fato positi mihi
videmini. Etenim M. VALENTINO MYLIO videtur fatum
se dedisse vtrò, vt qui in patria, & in vltiore citerioreq; vicinia,
opera & laboribus creuerit, sic vt ipsum mediocritatis illius non pœ-
niteat. Tibi, vt minori, fuere nonnulla difficiliora, vt quasiuisse
& inuenisse fatum videri possis: certè ab hoc hodie abes quàm pro-
ximè: quo nomine ipse gaudere potes, nos tibi gratulari debemus.
Cum annis ab hinc nouem literis multis & bonis præditus, & officij
plenus, nonnihil tamen animo fluctuares, & nobiscum, cumq; fratre
primùm non minus, quàm cum patre humanissimo consilium cape-
res, ipse non solum probaui tuum desiderium adeundi loca longin-
quiora, vbi notitiam & benevolentiam præstantium procerum tibi
studio & officio parares. Placuit nobis, vt ad magnum illum &

Belli ducem & senatus Polonici Principem Ioannem Zamoscium
ires: de cuius summa erga doctissimos quosq; gratia, & singulari er-
ga me beneuolentia cognoueras: nec ego dubitabam, gratum hospi-
tem futurum, qui è Germania ad Zamoscium litteras ferret, qui
officiosum hospitem passeret & uellet ornare maximè. Erat profectò
cur illos coleres, quod à te fideliter & constanter factum fuit. Itaq;
& illius tanti herois, & plurium Principum gratiam tibi merito
uuo peperisti. Quia verò qua ad rerum naturam introspiciendam
faciunt, domi didiceras, suspiciens altiùs, arti te Medica ex hoc prin-
cipio, & equalium exemplo, deq; Principum consilio, statim totum
addixisti in Academia Zamoscia. Tum verò quoq; nemo non Proce-
rum illius uicinia sibi tua fide & industria utendum putauit. Itaq;
non solum amplissimum & florentissimum illud regnum perlustrasti,
sed & longinquiora loca feliciter adijsti. Fauit tibi quoq; fatum,
ut cum fortunatis Procerum filijs ex plurium annorum spatio reditus
tibi in Germaniam pateret, neq; non patris conspectum ultimum ex-
hilarares: predicatu, ut fratri nobisq; tuus domum reditus gratus
fuèrit. Non temere te hominem doctum, virum bonum, officij ple-
num, diligimus; persequentem summo studio, quod foràs abiens, serio
institueras. Propterea nunc tibi gratulor, & meo & familiarium
nomine: quod precamur, idem auguramur, futurum, ut labore &
officio perhonestum locum, & quod homini satis est, felicitatis
porrò & obtineas & tuearis. Vale. Helm. ex ac. Iul.

Kal. Sept. 17 1611.

